

442-149

Einladungs-Programm

des

Gymnasium Bernhardinum

in

Meiningen

zu

der öffentlichen Prüfung,

welche am 10. und 11. April

und

zu der Schulfeierlichkeit,

welche am 12. April 1851 zum Schluß des Schuljahrs

im großen Hörsaale stattfinden wird.

P010380527

REC 84484

—————▶▶▶▶▶◀◀◀◀—————

Inhalt:

- I. Quaestiones umbricae. Vom Professor Panzerbieter.
- II. Schulnachrichten. Vom Director.

1702

Meiningen, 1851.

CA MALDURA

LING.

442

149

UNIVERSITA'

UNIVERSITA' DI PADOVA



Ex quo tempore C. Ric. Lepsius, V. D., admirabili cura ac diligentia tabularum Iguvinarum velut archetypa ipsa in medium protulit¹⁾ eaque re ad haec studia suscipienda homines doctos quasi invitavit; saepe miratus sum, cur non plures in his litteris explicandis atque illustrandis operam suam atque studium collocarent. Profecto enim operae pretium videbatur esse, praeter Romanos etiam alios Italiae populos accuratius cognovisse, praesertim quum neminem fugere posset, quanta lux etiam rebus romanis et litteris latinis ex ea cognitione offunderetur. Sed quum Lepsius liber editus esset anno XLI, paene decennium abiit, donec tandem exstiterunt duo viri docti, S. Th. Aufrecht et A. Kirchhof, Berolinenses, qui hanc provinciam non praetereuntes attingerent aut leviter inspicerent, sed tanquam rite susceptam data opera administrarent²⁾. Neque irrita fuit eorum opera: nam tanto cum successu in his litteris explicandis ac perpoliendis elaboraverunt, ut coniunctis eorum studiis grammatica pars, quantum id in hac illorum studiorum novitate fieri possit, prope absoluta videatur; verborum ipsorum interpretatio multum certe profecerit. Etsi autem viris optimis concedi debeat, in tanta rerum obscuritate — continent enim haec tabulae praecepta ritualia fratrum Atidiorum — quaedam etiam esse, quae nunquam satis expediri possint; ipsi tamen suo exemplo demonstraverunt, haud pauca, quae primo inexplicabilia viderentur, tamen cedere tandem interpretum sollertiae ac diligentiae. At multorum in hac re studio ac labore opus est. Itaque ego, quum semper haec studia curiose observassem, quamvis aliis negotiis, quominus ipse me iis darem, prohiberer, non dubitavi, ea, quae per subseciva tempora essem commentatus, in medium proferre, non quo his meis commentis rem ipsam magnopere adiuvari putarem, sed ut aliorum studia ad hoc litterarum genus tractandum excitarem. Continui autem me in iis, quae linguae latinae ope viderentur posse explicari; sanscritice enim et gothice

1) Inscriptiones Umbricae et Oscae, quotquot adhuc repertae sunt, omnes. Ad ectypa monumentorum a se confecta ed. C. R. Lepsius. Lips. 1841.

2) Die Umbrischen Sprachdenkmäler. Ein Versuch zur Deutung derselben von S. Th. Aufrecht u. A. Kirchhof. I B. Berlin 1849 (Grammatik). II B. I Heft, 1850. (Erklär.)

nescio; neque dubitavi, proferre etiam ea, quae minus certa esse ipse intelligerem. Licere enim mihi id videbatur in huiusmodi libello et extemporali et in tempus condito sperabamque fore, ut meis erroribus alii doctiores incitarentur ad veriora perquirenda.

Sed quum non omnibus, in quorum manus haec scripta dari solent, notum fuerit, quae harum rerum conditio sit, priusquam ad propositum pergam, pauca de ea re dicam, ut si qui legere voluerint, quae scripserim, possint intelligere.

Ac tabulae quidem Iguvinae nomen habent ab oppido Umbriae, Iguvio, ubi seculo quinto et decimo (1444) repertae sunt atque etiam nunc asservantur. Aeneae sunt omnes, numero septem. Ex iis quatuor primae et longe maior pars quintae litteris umbricis scriptae sunt; altera pars quintae, tum sexta et septima, quae multo etiam maiores sunt prioribus illis, litteris latinis, sed verbis umbricis. Ac singulari fortunae beneficio accidit, ut eae, quae latine scriptae sunt, eadem praecepta contineant, quae prima, iisdemque pleraque verbis concepta, ita tamen, ut multa etiam alia addita sint: nam quae in prima breviter significantur, quo ordine peragenda sint, ea in sexta et septima accuratius et singillatim explicantur, adiectis etiam ipsis precationum verbis, quae in prima omissa sunt. Ex hac autem illarum tabularum congruentia hoc natum est commodum, ut omnium litterarum umbricarum quae vis fuerit, cognitum habeamus. Umbri a dextra ad sinistram scribebant, utque nonnullis litteris carebant, quas Latini habebant (o, g, q, x, d), ita rursus etiam habebant duas alias, quibus Latini carebant, alteram **ḍ**, alteram **ḡ**, quarum loco in latinis tabulis posita est littera s cum apice a tergo et coniunctae litterae rs. Nos in hac commentatione aliorum exemplum secuti pro prima gallicam illam notam **ç**, cui sono etiam convenire videtur, pro altera, ubi non licet latina ratione uti, **r'** posuimus. Sed de his litteris, quoniam saepe iis utemur, paucis dicendum. Ac primum quidem litterae **r'** qui proprius sonus fuerit, difficile dictu est; in vocabulis latinis eius loco scribitur vel **d** vel **l**. Cf. famer'ia, familia; tribr'iqu, tribr'iqine, triplicio, triplicione (triplicatio); Tar'inates, Tadinatibus; trepur'atu, tripodato; dupursus, peturpursus (e tabb. latinis), bipedibus, quadrupedibus, alia. Cf. C. L. Schneider Gram. Lat. I p. 255. Sed non est nostrum, hanc rem diiudicare; quaeramus potius, quae ratio tenenda sit in comparandis vocabulis umbricis et latinis, in quibus aut illa littera aut **rs** insit. Ac primum quidem, quum umbricum vocabulum latine scriptum est per **rs**, idemque in umbricis tabulis scribitur per **r'**, non dubium est, quin latinum vocabulum, ut cum eo comparari liceat, habere necesse sit vel **d** vel **l**. At si quod vocabulum in umbricis tabulis omnino non reperiatur, sed in latine scriptis, quae non pauca sunt, velut arsir, arsier, alia; iam dubitatio oritur; possunt enim litterae **rs** accipi pro **r'** et in latinis vocabulis pro **d** vel **l**; possunt vero etiam suam propriam vim retinere; nam in umbricis quoque tabulis nonnunquam **rs** suis notis scribitur ut 5. a, 22: çersnatur (non çer'natur). In eiusmodi verbis posse umbricis litteris respondere etiam latinas **rs**, quis neget? At non necesse est respondeant; nam in his verbis ipsi Umbri saepissime pro **rs** solum ponunt **s**, ut persclo et pesklu, persnimu et pesnimu cet., ita ut etiam in latinis verbis simplex quaerere liceat **s**. Illud **s** autem quum in latinis vocabulis haud raro natum sit ex **d** vel **t**, ne hae quidem litterae aspernandae sunt, si forte in aliquo vocabulo latino manserint. Exemplo hanc rem illustrabo. Tab. 5. a, 22 scriptum est: ape frater çersnatur furent, quod dubitari nequit quin sit: ubi fratres caenati fuerint. Porro tab. 5. b. in edicto, quo constitutum est, quid fratres Atidii vel dare

debeant, vel accipere, quater invenitur substantivum *çesna*, per simplex *s* scriptum, velut hoc loco: *Klaverniur dirsans herti fratrur Atiersir et çesna(m) homonus duir i. e. Clavernii dent (mercedi?) fratribus Atidiis et caenam hominibus duobus.* Iam constat a Latinis quoque antiquitus *caenam* dictam esse *caesnam*, ut *pennam pesnam* vel *petnam* (Fest. p. 205: *pennas antiquos ferunt appellasse petnas ex graeco, quod illi πετνην* ea, quae sunt volueria, dicant. Item eosdem *pesnas* ut *caesnas*). *Caesna* autem facta videtur a caedendo et proprie dicta esse de epulo sacrificiali pro caedna; et *penna*, si graeca origo displicet, a petendo (cf. *praepetes* aves). — Altera littera, quae *Umbrorum* propria erat (*ç*), sono videtur similis fuisse litterae *s*, et quum in eodem vocabulo modo *ç* simplex scribatur, modo *çi*, addita vocali *i*, (*vestiça* et *vestiçia*; *façu* et *façu cet.*), suspicor, semper pronuntiatione ei additam esse vocalem *i*, etiam ubi non scriberetur. — Postremo, ne semper idem monere cogamur, dicendum est, *Umbrorum* saepissime abicere litteras finales verborum modo unam, modo plures, ut fieri solet in iis linguis, quae, quum raro litteris concludantur, totae fere in ore hominum versentur. Inprimis frequens est abiectio litterarum *m* et *s*, quae consuetudo etiam apud latinos mansit poetas; deinde notae accusativi plur. *f*, ut: *mersta avei esona*, si *kumia pr. merstaf aveif esonaf*, si *kumiaf cet.*; denique in verbis omittunt *t* vel *st* vel *nt* vel *ns*, ut *dirsa* est pro *dirsans*, *dent*; *habu* pro *habust*, *habuerit*, *habe* pro *habest*, *habebit*, alia. Sed haec nunc satis sunt; alia suo loco monebimus, ubi opus visum erit.

1. *Arsir. Arsie, Arsier. Disleralinsust.*

Tab. VI. a, 5 — 8.

Sersi pirsî sesust, poi angla aseriato est, erse neip mugatu, nep arsir andersistu, nersa covortust, porsî angla anseriato iust. Sve mujeto fust ote pisi arsir andersesust, disleralinsust.

Continentur his verbis praecepta de silentio, quibus prohibentur ea, quae aliquo vitio auspicia possint contingere. Ex verbis ipsis inprimis *arsir* explicatione eget et, quod huius loci extremum est, *disleralinsust*. Et *arsir* quidem *Berolinenses* existimaverunt idem esse atque *assir*, quo nomine prisci Latini sanguinem appellasse dicuntur, utque eam huius nominis significationem tuerentur, miras res excogitaverunt de mugitu boum inter auspicia et in vicinia templi mactatorum ac de sanguine eorum profluente et auspicia contaminante. Sed tantis haec ratio difficultatibus laborat, ut ne ipsis quidem auctoribus suis satis placeat; itaque eam omittamus, praesertim quum alia facillima illius vocis explicatio offerre sese videatur. Supra enim diximus, non raro in his tabulis, quae latinis litteris scriptae sint, litteras coniunctas *rs* positas esse pro *Umbrorum* littera *r'*, *Latinorum* *d* vel *l*. Etsi autem ignoratur, quomodo *Umbri* suis litteris *arsir* scripserint; casu enim accidit, ut in tabulis umbrice scriptis non exstet hoc verbum; nemo tamen negabit, posse *rs* in hoc nomine esse pro umbrico *r'* et latino *l*. Quod si ponitur, latine existit *alir* vel *alis*; nam *r* et *s*

saepe inter se commutari, vulgo notum est. Quis autem est, quin primo statim obtutu videat, id esse Latinorum nomen aliud, cuius loco olim dicebant alis? Etiamnunc haec forma exstat apud antiquiores scriptores non ita raro, velut apud Catullum, Lucretium, alios; et Priscian. habet haec (p. 1014): aliter quoque ab eo, quod est hic alis, huius alis, huic ali pro alius, aliud, alii. (Alid Lucret. 1, 1108. 5, 258). Iam praeceptum illud simplicissimum est hoc: neip mugatu, nep arsir andersistu: nec mussato nec alius intercedito (propr. intersistito); et paullo infra: sve mujeto fust ote pisi arsir andersesust: si mussatum fuerit aut quis alius intercesserit.

Quamvis autem haec interpretatio illius verbi et simplicitate sua et facilitate videatur commendari, tamen me quoque ipsum aliquamdiu de veritate eius dubitasse fateor. Nam decepit me illa formula, quae aliquoties in his tabulis in solennibus precationum carminibus legitur: Arsie, tiom subocau, Dei Grabove; Arsier frite tiom subocau suboco, Dei Grabove; putabam enim, verba arsie et arsier eodem modo explicari debere, quo arsir. Sed inter se diversissima sunt haec verba, quod, ut alia omitam, vel hac re apparet. Nam quum Arsie sit vocativus casus, arsier genitivus, si analogiam sequimur, nominativus sit necesse est arsiu, ut Berolinenses demonstraverunt, longe igitur diversus ab arsir, quod et ipsum nominativum esse apparet. Quid vero significet arsiu, difficile dictu est; sed liceat mihi, coniecturam proferre. Supra dictum est, sumta esse haec verba ex solennibus precibus, quae in lustratione arcis aut populi nuncupabantur. Eiusmodi sacris lustralibus placare deos veteres studebant, ut et propitii essent et, quod maximum erat, mala averterent et prohiberent; nam deos propitios esse, eo maxime cernebatur, si mala averterent. Cf. Cato r. r. 141. de agro lustrando: Mars pater, te precor, uti sies volens propitius mihi, domo familiaeque nostrae ut tu morbos visos invisosque, viduertatem vastitudinemque, calamitates intemperiasque prohibeas, defendas averruncesque cet. Hac re adducor, ut in nomine arsiu averrunci significationem inesse putem. Averruncum autem deum Umbros dixisse arbitror aversium sive avorsium (avorsium). Cf. kuvertu (convertito), kuvurtu, covortu. Ex eo autem nomine, sive elisa sive contracta syllaba media, factum videtur arsiu, plane ut apud Latinos quorsum ex quovorsum, dextrorsum ex dextrovorsum, sursum ex su(b)vorsum. Sed quoniam in hunc locum delatus sum, dicam etiam, quid mihi videatur de voce frite, ex qua pendet ille genitivus Arsier. Esse ablativum nominis substantivi, manifestum est; sed aequè certum est, non esse Latinorum ritu; nullo enim artificio, unde prima littera (f) umbrici nominis nata sit, demonstrari potest. Sed est in his tabulis nomen frif (acc. plur.), quod constat significare fruges vel fructus. Id aut ab eodem nomine declinatum est ita, ut ante notam accusativi plur. f, ut fieri solet, elisum sit t; aut certe illi maxime cognatum est et ab eodem themate factum, quasi latine dicas, frif esse frues (cf. sif i. e. sues) et frite fructu. Atque hic quaerat aliquis, quid sit Averrunci fructu, et iure quaerat, si de pomis et malis aliisque cogitet, quae vulgo fructuum nomine dicuntur. At fructuum nomen factum est ab inusitato verbo fruere, cuius propria vis erat carpendi, sumendi de aliqua re; inde est frustum, frustra, frui (sibi sumere, in suum usum carpere); fortasse etiam frus (= fraus, Abbruch, Beeinträchtigung). Atque hinc frit dicere poterant Umbri in sacris eam partem seu portionem, quae diis deberetur de rebus sacrificantium; Latini honorem dicebant.

Hae coniecturae si verae sunt, totus locus, ex quo ambiguae illae voces, de quibus quaesivimus, desumtae sunt, ita interpretandus erit.¹⁾ Continet autem sacrificii quasi indicationem. (Tab. VI. a, 23 — 25. eademque aliis locis.)

Tiom subocau suboco, Dei Grabovi, ocriper Fisiu, totaper Jjovina, erer nomneper, erar nomneper; fos sei, pacer sei ocre Fisei, tote Jjovine, erer nomne, erar nomne.

Arsie, tio subocau suboco Dei Grabove.

Arsier frite tio subocau suboco Dei Grabove.

i. e. Bonas te precor preces²⁾, Di Grabovie³⁾, pro ocri (i. e. arce) Fisiu, pro urbe Iguvina, eius pro nomine, eias⁴⁾ pro nomine; volens sis, propitius sis ocri Fisiu, urbi Iguvinae, eius nomini, eias nomini.

Averrunce, bonas te precor preces Dium Grabovium.

Averrunci honore⁵⁾ bonas te precor preces Dium Grabovium.

Sed iam revertamur ad auspicia; restat enim, ut de verbis disleralinsust dicamus; nam prorsus dubitari nequit, quin plura verba coniuncta sint hoc loco in unum. Continetur autem his verbis apodosis eorum, quae supra explicavimus: sve mujeto fust ote pisi arsir andersesust, si mussatum fuerit aut quis alius intercesserit i. e. si ea facta erunt, quae paullo ante in auspiciis fieri vetita erant. Ex quo necessario sequitur, ut in apodosi dictum sit, quid iam faciendum esset. Constat autem, si auguria minus bona evenissent aut vitio aliquo auspicia contacta essent, irrita ea fuisse nec licuisse eo die id agere, cuius causa auspicia caperentur. Romani augures dicere tum solebant: alio die. Sed haec quidem verba in umbricis latere nequeunt, quanquam comparatis illis verbis latinis verisimile fit, in disle inesse dici significationem. Hoc autem si datur, quis est, cui non in mentem veniat latinum illud: annum relinquere? Quod fere dici solebat de iis, qui, quum magistratum aliquem peterent, in praesentia petitionem omitterent, ut proximo anno rursus eundem magistratum peterent. Cf. Cic. pr. Milon. 9, 24: subito reliquit annum suum seseque in annum proximum transtulit, non, ut fit, religione aliqua, sed ut haberet cet. Ut autem dicebatur aliquis annum relinquere, ita etiam diem relinquere dici poterat is, qui aliquo die omitteret id, quod eo die acturus erat, ut idem alio die ageret. Itaque in duo verba dividendum litterarum illum complexum censeo ita: disle ralinsust, ex quibus disle scriptum est pro dislem, omisso ex more m. In verbo ralinsust una offendit syllaba ra pro re, quum tria alia verba sint, quae a syllaba re incipiant: restatu, restef, revestu; nullum, quod a syllaba ra⁶⁾. Sed quum trium

1) Quam hic proposui interpretationem, non mea est, sed aliorum, maxime Berolinensium; ea autem causa adscripsi, ut appareat, num coniecturae meae universae loci sententiae sint accommodatae.

2) Proprie subvoco subvocum i. e. invoco invocationem. Cato r. r. 134 bonas preces precor, quod substitui.

3) Aegre cessi argumentis, quibus Berolinenses demonstraverunt, hos esse accusativos; requiro vocativos.

4) Liceat h. l. ficta forma uti, ut appareat, alterum pronomen ad ocrem, alterum ad urbem referi.

5) De ablativo: honore cf. Cato r. r. 134: te hac strue commovenda benas preces precor — te hoc fercto obmovendo bonas preces precor.

6) Per se facile fieri poterat, ut in illa praepositione a scriberent pro 'e; sic inter umbrice est anter; de osce dat, ut tab. Bantin. 6: dat senateis tanginud, de senatus sententia.

illorum verborum nullum adhuc satis explicatum sit neque constet, num in iis re praepositio sit, de qua agimus, an aliter explicandum sit, nondum a me impetrare possum, ut ralinsust mutem in relinsust, quae sane facilis mutatio esset. Ceterum ralinsust est perfecti coniunctivus: qui ut esse possit, litterae s addendus est apex, qui sexcenties a sculptore omissus est; scribendum igitur ralinçust, dicendum autem ralinçust; nam i nota coniunctivi est. (Cf. purdinçust, cuius loco etiam invenitur purdinçust). Latine igitur verba illa sic reddenda sunt: diem reliquerit; perfecti autem coniunctivus positus est pro praesenti, ut saepe fit etiam apud Latinos. Relinquendi verbum umbrice fuisse videtur ralinquum (cf. peiqo) vel ralincom; in perfecto autem n non omiserunt, ut Latini.

Iam totum locum de silentio, quem in principio huius capituli posui, adhibitis iis, quae Berolinenses invenerunt, conabor interpretari.

(Sedem quum ceperit¹⁾, qui auspicia²⁾ observatum it³⁾; ille⁴⁾ nec mussato nec alius intercedito, donec⁵⁾ reverterit⁶⁾, qui⁷⁾ auspicia observatum iverit. Si mussatum fuerit aut quis alius intercesserit, diem relinquat.

2. Angla. Erus; Esono. Mersto. Dersvo.

Tab. VI. a, 1 — 5.

Este persclo aveis aseriater enetu, parfa curnase dersva, peiqu peica merstu. Poi angla aseriato eest, eso tremnu serse arsferture ehveltu stiplo: aseriaia parfa dersva curnaco dersva, peico mersto peica mersta, mersta avei,

1) Sententiam verborum: sersi pirs sesust, recte Berolinenses videntur divinasse; in verbis explicandis nondum mihi satisfaciunt; sed meliora non habeo.

2) De nomine angla paulo infra accuratius agetur; interim posui auspicia.

3) Berolinenses scribunt eest, ibit; tabulae habent est, quod dubito, an sit praesens: it. Certe futur. ibit non satis accommodatum videtur sententiae; aptius esset futur. exact. iverit.

4) Si erse est adverbium, non tempus significare videtur (tunc), sed locum (illic); at ne adverbium quidem videtur esse, sed pronomen, accurate respondens latino pronomini ille. Er'ek potest esse aut pronomen aut adverbium loci (illic).

5) Hanc vocis nersa esse sententiam, recte Berolinenses videntur statuisse. Compositum vocabulum videtur esse ex ne (i. e. nep) et rsa i. e. da. Da, sive plenius dam vel dane (cf. prepa, antequam) fortasse Umbri dixerunt pro dum, ut existeret nondum, sed ita, ut latine dicendum esset dum non.

6) Tab. habet courtust, quod emendaverunt Berolinenses. Convertere autem Umbri dixisse videntur pro reverti, redire. Cf. VI. b. 63. ape este dersikust, duti ambretuto eurent; ape termnome kovortuso cet. i. e. ubi ita dixit, iterum circumeunto iidem; ubi ad terminum (h. e. ad eum locum, unde egressi sunt,) revertere. Vers. 64. pro kovortuso est benuso: enom tertim ambretuto; ape termnome benuso i. e. tum tertium circumeunto; ubi in terminum venere. Videtur autem augur facta stipulatione ab eo, pro quo auspicia capiebat, aliquo secessisse, ut aves servaret, deinde ei nunciasset. Cf. Liv. IV, 18; dictatore arcem romanam respectante, ut ab auguribus, simul aves rite admississent, ex composito tolleretur signum. — Alia ratio est inaugurationis Liv. 1, 18.

7) Porsi. Cum hac forma relativi comparari potest, quod habet Nonius p. 198: „Culest pro quale est, neutro positum pro masculino. Plautus Amfitryone (1, 3, 39): edepol, condignum donum, cul'est, qui donum dedit.“ Nam cule respondet umbrico porse.

mersta angla esona? Arfertur eso anstiplatu: ef aserio, parfa dersva eurnaco dersva, peico mersto peica mersta, mersta aveif, merstaf anglaf esona mehe, tote Jjoveine, esmei stahmei stahmitei.

In explicando hoc loco, qui praecepta continet de stipulandis a sacrificulo (arsfertur, proprie: adfertor) et augure auspiciis, inprimis feliciter versata est philologorum Berolinensium diligentia. Pauca tamen supersunt, quae aut intacta illi reliquerint, aut parum recte tractasse videantur. Velut de avibus, quae anglar nominantur, multa verissime dixerunt, quod vero easdem illas esse suspicantur, quae a romanis auguribus oscines dicebantur, equidem assentiri iis non possum. Nam quum duo maxime genera avium augures romani distinguerent, alites, quae involatu, et oscines, quae cantu auspicia facerent, Umbrorum anglaf referunt illi, ut diximus, ad oscines, aveif autem ad alites. Id vero nullo pacto fieri potest, ut vel prima verba huius loci docent, quorum sententia haec est: ita sacrum avibus observatis inito, parra cornice, pico pica. Prorsus enim dubitari nequit, quum nomina avium eodem casu posita sint, quo verba: aveis aseriat, h. e. casu ablativo, quin ea de causa adiecta sint, ut accurate definiretur, quae aves observarentur. Quod quum ita sit, necessario sequitur, ut non modo parra et cornix, verum picus etiam et pica unius et eiusdem generis sint, eius, quod avium nomine Umbri appellabant. Nullum igitur in his avium discrimen. Neque poterat is, qui haec praeciperet, quo nomine omnes modo aves observandas appellaverat, eodem paullo post de certo quodam earum genere abuti; non melius enim esset locutus, quam si quis diceret: observato aves, quae partim aves sunt, partim oscines. Quod vero duo paria avium iubentur observari, constat, non satis fuisse, unum auspiciū vidisse, nisi id altero confirmaretur. Si vero avium appellatio non de certo quodam genere valet, sed de universis avibus; idem de anglabus dicendum est: nam *συνόνομα* esse haec nomina, ipsi Berolinenses dixerunt, eaque re nihil certius est. Nam post prima illa verba, de quibus modo dictum, ita continuatur oratio: poei angla aseriatō eest i. e. ubi anglas observatum ibit: in quibus verbis manifesto ponuntur anglae loco avium, quae modo dictae erant. Et peracto auspicio quum ad nunciationem ventum est, haec leguntur (v. 17.): sve anglar procanurent, si aves addixerint; hanc enim horum verborum sententiam esse, demonstratione non eget. Nam si aliae erant anglae, aliae aves, cur non de utrisque refert? An oscinum tantum cantus in auspiciis auctoritatem habebat, alitum volatus nullam? at cur observabantur alites? Sed hic est ille locus, in quo maxime Berolinensium ista opinio nititur. Interpretantur enim verbum umbricum procanurent latino verbo procinuerint; ita enim antiquiores dicebant pro procecinerint; atqui quum anglae canere dicerentur, non dubitabant, oscines eos dicere. At ut iis largiamur, canendi significationem inesse in verbo umbrico; apud Latinos quoque addicunt aves, non modo oscines, sed etiam alites, neque tamen idcirco oratores sunt. Nec Latini semper canendi verbo de vero cantu utuntur, sed de omni pronuntiatione solenni, ut vaticiniorum; et quid sint carmina, inter omnes constat. Nihil igitur est, quod de cantu avium cogat nos cogitare, etiamsi illud verbum a canendo factum sit; quid? quod ne satis quidem explicari potest praepositio pro, si de vero cantu illud verbum accipiatur, quae aptissima est, si paulo latius patere eius vim statuamus dicamusque, esse nunciare vel potius: pronuntiare. Quod verbum, quum per se in utramque partem accipi possit, et de addicentibus et de refragantibus avibus, huius tamen loci sententia clarum est, dictum esse de addicentibus; non enim omittitur res, cuius causa auspicia capiuntur, sed continuatur.

Sed ut ad anglas revertar, quod supra dixi, easdem eas esse atque aves, ita accipi volo, ut tamen aliqua ratione etiam diversas putem. Nam quum per se non consentaneum sit, diversa nomina plane eandem rem significare, tum idem docet coniunctio utriusque nominis in iis, quae proxime sequuntur: mersta aveif, merstaf anglaf esona. Haec duo enim nomina ita tantum recte coniungi poterant, si posteriore accuratius et definitius dicebatur, quod priore generalius dictum erat. Atqui quum ex iis, quae adhuc disputavimus, nulla causa appareat, cur apud Umbros avium nomini aliam significationem fuisse statuamus atque apud Latinos, sequitur, ut anglae aves quidem fuerint, sed ut non omnes aves eo nomine appellari potuerint. Quid autem magis huius carminis sententiae accommodatum est, quam ut anglae dicantur eae aves fuisse, quae auspicia facerent vel aves augurales, quas Graeci *οἰωνοὶ* appellabant?

Iam videamus, num contingat nobis, ut etiam grammatice explicemus, quid sit angla. Vocabulum ipsum et litteras considerantes eo ducimur, ut, si erat eiusmodi vocabulum latinum, id fuisse conciliamus sive angulam sive anculam; nam antiquitus a Latinis saepissime e ponebatur pro g. Est autem ancula latinum vocabulum atque significat ministram. Paul. p. 19: Antiqui anculare dicebant pro ministrare, ex quo dii quoque et deae feruntur, quibus nomina sunt anculi et anculae. — Eos deos autem et deas fuisse ministros maiorum deorum apparet ex glossa Placidii (p. 435 ed. Mai) simpliciter dicentis: anculi, servi. Iam quum aves augurales a diis mitti legamus (Liv. 1, 18: tum peregit verbis auspicia, quae mitti vellet), ut deorum voluntatem nuncient (Cic. de leg. 1, 1: nuncia fulva Iovis miranda visa figura. Liv. 1, 34: eam alitem ea regione caeli et eius dei nunciam venisse); quid obstat, quominus Umbros credamus aves, quae auspicia facerent deorumque voluntatem nunciarent, appellasse ministras deorum vel simpliciter ministras et nuncias? Ac nisi me opinio fallit, umbrici illius usus, de quo modo dixi, superest etiam apud Latinos vestigium. Aquilae enim nomen proprie mihi fuisse videtur aquila, quod idem verbum est, atque umbricum angla et, quum primum esset commune omnium avium auguralium nomen, postea haesisse videtur in iis, quorum maximus in auspiciis esset usus atque honor. Sed utcumque de hac nominis angla explicatione statuitur, id hac disputatione effecisse mihi videor, non esse oscines, sed aves augurales.

Venio nunc ad difficillimam quaestionem de adiectivis illis, quae avibus addita sunt, mersto et dersvo. Ac primum quidem de adiectivo mersto dicam.

Paulus hanc glossam habet ex Festo excerptam p. 122: meltom meliorem dicebant. Admodum dolendum est, quod non Festi ipsius verba servata sunt, ut constaret, unde grammatici hanc vocem sumsissent quibusque exemplis essent usi. Nam per se satis mira est illa glossa. Hoc quidem clarum est primo aspectu, eius vocis originem repetendam esse a syllaba mel, quae eadem est in comparativo melius: sed hac re maxime offendimur, quod, quum comparativi vim habere dicatur, nulla in ea comparativi nota videtur inesse. Neque quidquam proficetur, si Scaligero suadente scribamus meliom aut Lindemannum secuti ad graecum nomen *βέλτιον* confugiamus: in latino enim nomine semper deest signum comparativi. Quare, quum vocabulum ipsum non suspectum sit, nihil reliquum est, nisi ut dicatur, non esse verum illud nomen comparativum, sed in iis exemplis, quae Festo ante oculos essent, ita collocatum fuisse meltom, ut universa sententia et sua cum ceteris verbis coniunctione

quodammodo comparativi vim induisse posset videri; positione igitur comparativum fuisse, repositivum. Cf. Plant. Rud. 4, 4, 70: eo tacent, quia tacita bona est mulier semper, quam loquens. Hoc si vere coniecimus, quum grammaticus meliorem significare meliorem dicat, statuendum est, proprie illud vocabulum significasse bonum. — Iam cur haec omnia disputaverim, apparet; huic enim verbo exacte convenit umbricum merstu, si statuas rs esse pro r' i. e. pro latino l. Nam quum meliorem esset accusativus sing. masc., apparet nominativum eius fuisse meltus, a, um, estque inter hoc adiectivum et melus, unde melius factum, eadem ratio, quae inter multus (vel moltus) et mulus (molus), unde factum est plus, plurimus.¹⁾ Habemus igitur picum bonum (i. e. secundum, faustum) et picam bonam; deinde bonas aves, bonas nuncias s. anguria.

Iam pergamus ad alterum illud adiectivum dersvo. Quum angur his verbis ea tantum auspicia enumeret, quae mitti vult, sequitur, ut omnes sint aves bonae et faustae, quae hoc loco recenseantur, idque quum in pico et pica contineatur adiectivo, eorum nomini addito, idem in parra et cornice factum esse putandum. Dersvo autem si latine scribatur, etsi in umbricis tabulis scriptum sit tēsva, non ter'ua (I. b, 13: enumek steplatu parfam tesvam tefe tute Jkuvine), nihilominus tamen fieri potest deduus vel detuus, ut supra demonstratum est p. 4, neque dubito, hoc adiectivum revocare ad verbum dandi. Duplex autem ab Umbris huius verbi usurpabatur forma, altera simplex, a qua declinatum est tetu s. titu, dato; dia (VI. a, 21.), det, alia; altera reduplicatione per omnia tempora et omnes modos aucta, a qua sunt haec: ter'tu vel dirstu, dato; dirsas (pro dirsans), dent; ter'a vel dersa, det cet. Iam quum verbum reduplicatum in omnibus formis teneat r', non potest adiectivum desvo ad eam referri, sed ad simplicem, cuius quum participium esset tetu!, (detu) vel titu (ditu); cf. purtitu (purditom) fust; ab eo desvo factum, ut dativus a participio datus, sed ita, ut t abiret in s, cuius vices nunc tenet rs in forma dersua, pariter atque in participio çersnatur. Recte autem Umbri dativas dicere poterant eas aves, quas Romani admissivas appellabant; nam quo iure aves aliquid admittere dicebantur, eodem iure poterant dare et concedere dici.

Restat tertium adiectivum, esono, de quo, etsi nihil certi habeam, quod dicam, liceat tamen mihi, quid divinaverim, proferre. Frequenter in his tabulis invenitur nomen erus, cum imperativo dirstu i. e. dato coniunctum vel alio simili potestate. Berolinenses putant, esse casum accusativum nominis cuiusdam ex genere neutro (p. 204). At vereor, ut Umbri omnino eiusmodi neutra habuerint in us exeuntia, atque prorsus inauditum esset, hanc syllabam in exitu vocis semper plenam atque integram conservatam esse, alias autem paene omnes vario modo corruptas esse. Maxime illos viros movisse videntur, ut ita statuerent, genitivi, qui quibusdam in locis ex illo nomine iis pendere videbantur. At illos aut non esse genitivos, aut, si sunt, aliter explicari posse, infra demonstrabimus. Contra quasi sua sponte sese offerre videtur dativus pluralis, ad quem referendum sit nomen erus, utque statim dicam, quid sentiam, videntur mihi dii illo nomine ab Umbris appellati esse. Mirum enim esset, si in hisce tabulis, quae totae in rebus divinis versantur, nullum deorum nomen inveniretur, quod

1) Nam t primo abfuisse a nomine multum, ostendit graecum πολὺ. Plus autem et plurimus s. ploisimus (Müll. ad. Fest. p. 205. plisima.) ita factum videtur, ut transposita vocali fieret plo-ius, plo-isimus (pro mloius, mloisimus) abeunte ante l littera m in p.

quidem omnium deorum commune esset. Quod enim scriptum est Di Grabovie, Di perinde atque Grabovie proprium illius dei nomen est, non commune omnium deorum. Et diis dare etiam apud Latinos solennis dictio erat, quum ea, quae in sacris diis deberentur, iis tradebantur. Vid. Varr. r. r. 1, 29: exta diis quum dabant. Macrob. Sat. 3, 2: exta porriciunto, diis danto in altaria focumve eove, quo exta dari debebunt. — Eodem autem dicendi genere Umbri quoque videntur usi fuisse in sacris. Cf. VI. b, 16: proseseto erus ditu, prosecta diis dato; I. b, 35: ape erus ter'ust, ubi diis dederit; VI. b, 39: sururont erus dirstu, item diis dato; II. b, 28: erus prusekatu, diis prosecato (i. e. dato); II. b, 33: iepu erus mani kuveitu, iecur (? cf. hepar) diis manu commoveto (propr. conveyito cf. Cat. r. r. 134: Iano struem commoveto sic; alia). In quo vero loco maximum probabilitatis momentum inest, tab. IV praecepta dantur de sacris Pomono Publicio et Vesona(?) Pomoni Publicii faciendis. In his praeceptis postquam de duobus his diis dictum est, v. 14 pergitur ita: inuk ereclu umtu putrespe erus. In his obscura sunt ereclu et umtu; umtu esse potest imperativus, fortasse emitto i. e. sumito; sed potest etiam esse participium ad ereclu referendum, quo nomine videtur ea res significari, quae diis danda est, idque Berolinenses statuisse videntur, qui post erus aliquid excidisse censeant. Sed putrespe quid sit, non dubium est; est enim utrisque, neque potest non referri ad Pomonum eiusque sociam, Vesonam. Quis autem est, qui id avellere audeat a nomine erus? Et quo quaeso alio nomine illi appellari poterant, nisi deorum? Est igitur putrespe erus: utrisque diis. Iam viri me doctiores viderint, num ex cognatis linguis illud nomen accuratius illustrare possint; equidem non invenio, quid cum eo conferam, nisi quis Herem illam Marteam (Fest. p. 100) huc advocare vult, dicens eam proprie fuisse Deam Martiam falsoque postea a Romanis, nomine deceptis, ad hereditates revocatam. Ab hoc autem nomine originem duxisse adiectivum esunu sive esonu, mutato r in s, neque aliud significasse credo, nisi divinum, quae significatio maxime accommodata esse videtur iis locis, qui possunt intelligi. Ac primum quidem, unde exiimus, habemus iam id ἐνθεὸν anglarum, quod supra quis desideraverit: bonas nuncias divinas; et tab. V. a, 5: ere ri esune kuraia prehabia, pir'e uraku ri esuna si herte, quis non statim videat, ri esune esse rei divinae et ri esuna, re divina? Rem divinam autem veteres dixisse pro sacris, vulgo notum est. Sed neutrum huius adiectivi etiam substantivi loco ponitur, plane ut Latinorum sacrum. I. b, 38: enuk esunu purtitu fust, tum sacrum peractum erit. II. b, 42: esunu purtitu futu, sacrum peractum esto. VI. b 52: via aviecla esonome ituto, via auspicali ad sacrum eunto, alia.

Haec quidem sunt, quae de hoc loco dicenda habeam. Restat, ut totum locum interpreter, in quo negotio me maxime adiutum esse Berolinensium inventis, grato animo profiteor.

Ita sacrum¹⁾ avibus observatis inito, parra cornice admissiva, pico pica bono. Qui nuncias (aves) observatum ibit, haec sacrificulum iubeto²⁾ stipulari: observemne parram admissivam cornicem admissivam, picum bonum picam bonam, bonas aves, bonas nuncias divinas? — Sacrificulus haec ansti-

1) persclo non satis clarum; sed hoc constat, eiusmodi aliquid hoc nomine dici.

2) Neque verb. ehveltu clarum; itaque dedi auctoribus Berolinensibus, quod sententia postulare videbatur. Sed umbrice iungitur cum dativo personae (arsferture).

pulator: Ea¹⁾ observa, parram admissivam, picum bonum picam bonam, bonas nuncias divinas mihi, urbi Iguvinae, huicce templo effato.²⁾

3. Tuder. Asa Deveia. Ooserklome. Smursime. Vukukom.

Sumta sunt haec verba ex eo loco, qui est de limitatione templi auguralis, praeter postremum, quod ideo ceteris adieci, quoniam et ipsum locum aliquem significare videtur. Quum de universo hoc loco ita disputaverint Berolinenses, ut plerarumque rerum explicationem absolvisse videantur, ego in his ipsis verbis pro viribus illustrandis me continebo.

Atque ut incipiam a nomine tuder, divinaverunt illi viri, id significare finem seu limitem, quo nihil verius potest dici. Equidem experiar, num istam explicationem, quae sententia totius loci quam maxime commendetur, alia etiam ratione possim confirmare. A Romanis pileum, quo flamines ac pontifices utebantur, tutulum vocatum esse, inter omnes constat, isque pileus forma erat metali. Varro l. l. 7, 44: tutulati dicti ii, qui in sacris in capitibus habere solent ut metam. Serv. ad Aen. 2, 683: Suetonius tria genera pileorum dixit, quibus sacerdotes utuntur, apicem, tutulum, galerum tutulum pileum lanatum metae figura. Fest. p. 355: tutulum quidam pileum lanatum forma metali figuratum, quo flamines ac pontifices utantur, eodem nomine vocari (aiunt). Quum ex his grammaticorum testimoniis probabile sit, pileum illum a figura sua nomen habuisse, tum idem paene certum fit iis, quae praeterea retulerunt Varro et Festus. Varro enim l. l. ita pergit: id tutulus appellatus ab eo, quod matresfamilias crines convolutos ad verticem capitis quos habent vitta velatos, dicebantur tutuli; sive ab eo, quod id tuendi causa capilli fiebat, sive ab eo, quod, altissimum in urbe quod est, arx, tutissimum vocatur. Fest. l. l. Tutulum vocari aiunt Flaminicarum capitis ornamentum, quod fiat vitta purpurea innexa crinibus et exstructum in altitudinem. — Ex his Varronis perversam istam etymologiam praetereamus; hoc autem teneamus, eodem nomine, quo pileum illum, appellatum esse comptum quendam capillorum eumque fuisse exstructum in altitudinem crinesque convolutos fuisse ad verticem capitis, (auf dem Scheitel zusammengedreht). Habemus igitur hic quoque figuram metae. Si vero duae res diversae unum idemque nomen gerunt, in cetera diversitate habere eas necesse est simile et par, quo referatur nomen. Atqui, quum pileus iste et muliebre illud ornamentum capitis in eo convenirent, quod utrumque metae figuram referebat, certum est, ea a meta nomen duxisse. Sic autem tutulus proprie significasse putandus est sive metam sive metulam. Potest enim pro deminutivo haberi, ut metae nomen fuerit tutus, aut antiquitus erat tutel, unde postea tutulus, ut a famel factum est famulus. Etiam apud Umbros tuder proprie

1) Ber. scripserunt eaf, fortasse recte. Sed ego dubito, an etiam neutra sint, quorum acc. plur. terminetur syll. ef, nata illa ex eu. Ceterum iidem viri docti verba eaf aserio coniungunt cum proxime antecedentibus verbis ita: adfertor his verbis stipulator eas observari. Sed obscuraverunt magis difficultatem, quam sustulerunt, quae oritur ex pron. eso; non enim debebant dicere: his verbis, sed: hoc vel haec stipulator, eas observari; quod vides non recte procedere. Praeterea desidero verbum, quo referendi sint dativi: mihi, urbi Iguvinae. Nam si ita conformata esset oratio, ut illi dicunt, pendere debebant haec omnia ex verbo anstiplatu ac sibi dicendum erat, non mihi. Itaque nescio an etiam brevior forma imperativi usurpata fuerit ab Umbris, ut a Latinis.

2) Sic. Berol., sed admodum haec incerta.

significasse videtur metam, unde quam facilis fuerit tralatio ad fines et limites, demonstrari non opus est. nam meta non solum in circo erat et in ludis, sed etiam in limitatione, ut apparet ex castris metandis. Ceterum tuder est nominativus et verba illa VI. a, 10: eine angluto somo vapefe aviehclu todkome tuder ita videntur esse interpretanda: tum ab angulo summo ad lapides auspicales in publico seu urbano (limite) limes. Versu 12. ita interpungendum est: Tuderor totcor: vapersusto avieclir ebetrufe cet. Verba tuderor totcor sunt lemmatis loco; aliter enim non facile construi possunt haec verba cum reliquis. Nam quum paulo supra fines templi eosdem esse demonstratum esset, quos urbanos; ne quis erraret, addenda erat accurata finium urbanorum descriptio, quae ipsa his verbis continetur.

In finibus templi constituendis nominatur etiam asa deveia, de qua iam pauca dicam. Quum asa haud dubie sit ara, sequitur ut Deveia sit adiectivum, quo accuratius definiatur, quae illa ara sit, ut satis iam Berolinenses demonstraverunt. In exitu huius adiectivi i videtur esse j, quo cavetur, ne duae vocales collidant, ut in latinis inscriptionibus ponitur nonnunquam pijus pro pius. Ita reperimus adiectivum, quod, si latine scribatur, est Deveus sive Devius aut Divius; nam Umbri saepe e ponunt pro i Latinorum. Neque in hac forma cogitare licet de latino adiectivo devius: quae a via remota sit ara; nam Umbri praepositionem de hac quidem forma ignorant. Itaque nihil superest, nisi ut illo nomine indicari putemus sive deum sive deam, cui dicata erat illa ara, ut Iovius a Iove dicitur, Martius a Marte, Sancius a Sanco. Iam in tabula aliqua Veliterna (ap. Leps. t. XXVI, 24.) commemoratur Deva Decluna; similemque poterant habere Umbri deam, cui illa ara sacra esset, nisi mavis ad ipsum Dium Grabovium referre. Non enim poterant Umbri dicere Deium, sed vocales separandae erant, ut facile ex illo nomine adiectivum Deven nasci posset. Sed utcumque de deo illo aut dea statuis, dei nomen in adiectivo latere apertum est. Est igitur ara aliqua sive Devia sive Divia, quae certo quodam loco illius regionis posita erat, ut ad situm lapidum auspicalium definiendum ea uti possent. Verba igitur (v. 9 s.): angluto hondomu, porsei nesimeia asa Deveja est, anglome somo, porsei nesimeia vapersusto aviechkleir est, eine angluto somo vapefe aviehclu todkome tuder; angluto hondomu asame Deveja todkome tuder, verte ita: ab angulo infimo, qui proxime ab ara Divia est, ad angulum summum, qui proxime a lapidibus auspicalibus est, tum ab angulo summo ad lapides auspicales in urbano finis; ab angulo infimo ad aram Diviam in urbano finis.

In ipso finium urbanorum tractu auspiciorum causa describendo uti debebant iis rebus, quae e longinquo possent conspici et in conspectu essent auguris quaeque prope fines ipsos essent sitae. Hinc non mirum est, quod in circumscribendis finibus arcis Fisiae (VI a, 12 ss.) multa reperiuntur nomina vel deorum immortalium vel hominum propria, quorum vel templis vel aedibus vel hortis vel aliis rebus fines notantur, ut verissime demonstraverunt Berolinenses. Quae nomina, quum satis sit, agnoscere, esse propria, reliquae tamen voces, quibus res ipsae dicuntur, explicatione indigent, quae difficillima est. Attamen de duabus quidem dicam, quid mihi videatur. Smursime est accusativus cum nota loci: e(m), quae significat ad seu in. Ac Berolinenses quidem referunt eam vocem ad vocem latinam myrrhim (smyrrhim, smurhim), posse eam agrum oleribus consitum significare rati. Equidem ut id probare possim, requiro nomen hominis, cuius ille ager fuerit; nam si statuas, omnes cives illa regione olera sua serere solitos fuisse, maior eorum agrorum ambitus videtur fuisse, quam ut ex iis fines notari

possent. Multo mihi aptior ad eam rem videtur myrtus, sive una aliqua arbor myrti ibi erat, sive nemus myrterum vel myrtetum. Primum s eodem modo adiectum, ut in smyrri, *συμυρρι*, aliis; neque alterum s alienum esse ab hoc nomine, apparet ex graeca forma *μυρσίην*. In quarta autem declinatione pro um accusativi poterat etiam dici im, ut in ablativo dicebant mani (manu), trefi (tribu), ar'putrati (arbitratu) et tamen manuve, quae erat forma plena manne interposito v, unde sola manente nota casus factum (mane) mani. Ita autem accusativus proprie erat manuem seu manuvem; abiecta autem extrema nominis ipsius littera (u) exstitit manem seu manim.

Alterum vocabulum est ooserklome, in quo e(m) rursus est signum loci. Constat tribus partibus: oo-ser-klom, quarum media convenit cum verbo ser-itu, quod omnium consensu explicatur servato. Ultima syllaba (klom) satis nota; respondet illa latinis syllabis culum, quibus multa nomina terminantur. Ita autem habemus servaculum. Restat prima (oo), de qua Berolinenses unum o abiciunt, quia scriptum illud putant incuria sculptoris. Quorum sententiam si probas, reliquum o erit praepositio ob, ut iam existat observaculum. At Umbri omnino non videntur dixisse observare, sed anservare, ut potius dicendum fuisset anservaculum. Itaque retinendum videtur duplex illud o; natum enim esse potest ex solutione syllabae contractae; quanquam non nego, accuratius scribendum fuisse oho. Sic pro sitir scribitur etiam sihitir, pro traf trahaf, alia. Longum autem o, cuius loco oo scriptum est, in nomine ooserklom factum videtur ex syllabis avi, ut preplotatu (preplotatu) ex preplavitu i. e. praeplaudito, et comohota ex comovita i. e. commota. Iam ut Latini dicebant: augur, auspex, auceps, alia, Umbri videntur dixisse anservaculum pro aviservaculo i. e. auguraculo vel tabernaculo auguris. De re ipsa unum moneo hoc, non videri eo nomine dici eum locum, quo tum augur aves observabat, sed esse illum certum quendam locum ad fines urbanos situm, qui quacunq; de causa ita appellaretur.

Postremo dicam de nomine vukukom (vocucom in tab. VI. b. 43. 45), quod compositum est ex ablativo vuku et praepositione kom i. e. cum vel apud. Indicatur autem hoc verbo locus pomoerii arcis Fisiae, ubi quarta sacra facienda sunt in lustratione arcis, postquam tria alia iam antea ad tres portas arcis facta sunt; in quarta enim parte arcis nulla erat porta. Ita optime hanc rem exposuerunt Berolinenses, qui iidem rectissime demonstraverunt, vukum non esse focum; quid vero sit, non dixerunt; quanquam posse eo verbo dici significaverunt lucum aut templum aut aedes. De templo et aedibus nihil dicam; lucus autem magis initio mihi arriserat; nam quum Umbri aspernentur l in principio verborum, ipsi Berolinenses suspicati sunt, nonnunquam eius loco poni v eaque ratione magna cum probabilitate coniecerunt, vapersem esse lapidem. Ita vucus etiam poterat esse lucus. At non verisimile est, primam eius vocis vocalem (u) mutatum esse in o, ut factum est in tabulis latine scriptis. Contra id fieri posse in nomine vici, graecum nomen ostendit *οἶκος*, unde vicus factum. Itaque iam arbitror, vukum esse vicum. Nam vici in Italia non modo erant urbium, sed etiam agrorum. Cf. Fest. p. 371.¹⁾ Vicos autem a diis, ab hominibus, ab aliis denique rebus appellatos esse,

1) Quod in h. l. ait: prive, id est in suo quisque loco proprio, eadem explicatio adhibenda videtur tab. I. a, 28: esmik vestigam preve fiktū; II. b, 9: kapir'e per'u preve fetu; suo loco proprio, seorsum ab aliis.

romanae urbis nomina vicorum ostendunt (Orell. Inscr. lat. no. 5). Est igitur Vocucom Ioviu, in vico Iovio; vocucom Koredier, in vico Corredii, sive is homo fuit sive deus; III, 20. inumek vukumen esunumen etu; ape vuku kukehes: tunc in vicum ad sacra ito; ubi in vico — — —. Num huc etiam vuke revocandum sit, in tanta locorum obscuritate incertum.

4. Persi mersi.

Legitur haec formula in hisce locis: t. 6. a, 28: Di Grabovie, persei mersei, esu bue peracrei pihacu pihafei. Ib. 38. 48: eadem plane verba, nisi quod additum etru et tertiu. — Cum quibus locis comparandi sunt hi: 1. b, 18: svepis habe, purtatulu, pue mer's est, feitu uru, per'e mer's est; eademque sententia t. 6. b, 55; svepir habe, esme pople portatu ulo, pue mers est, fetu uru, pirse mers est. t. 6. b, 31: Tefre Iovie, perse mers est, esu sorsu persondu pihacu pihafi. t. 3, 6: inuk uhturu urtes puntis frater ustentuta, pur'e fratri mersus fust kumnakle.

